

GENEROSISS. FORTISSIMOQVE

EQVITI CLAVDIO DE MAROLLES, AVLÆ REGIÆ NOBILI ORDINARIO, QVINQVAGINTA CATAPHRACTORVM MILITVM PRÆFECTO,

propræfecto ferentariis illustrissimi Niuernensium Ducis Equitibus.

INDIGNVM est res æterna memoria dignas, & præclara illustrium heroū facta obscuro inuoluere silentio, & æternæ posterorum non consecrare memoriæ. Tua (Eques nobili fortiter perpetratorum facinorum numero nobilissime, fortissime) insignia gesta, nomen, honorem semper mansurum Historia, veraxque Fama velocibus in sublime euecta PENNIS per vniuersas Gallias licet prædicet: ego tamen quin laudes easdem solemni hac Apollinarium propositionum inscriptione prosequar, mihi temperare non possū. Tu enim ijs maioribus natus, qui bello viuum quondam Flandriæ Comitem ceperunt: Tu Duello, vtroque spectante & adprobante exercitu, velut Horatius, victor ad portas Parisinas, merito (quod nominis tui aliter collectæ docent litteræ) gloriari potes, ADSVM IN DVELLO CLARVS: tu Henrico Magno ob magnum animi robur, & Martiam prudentiam commendatissimus: tu Principibus viris, Niuernensium maxime inclyto Duci, ob victricia arma carissimus: tu apud Augustum Ludouicum, armis potius quam annis magnum, ob fidentes generosi pectoris ausus clarissimus. Referunt Martis ensem in campis Geticis repertum ad Attilam pertinuisse, quo ille tot gentes inuictus domuerit. Tua non tam gentilitia insignia, quam insignia inuicti animi gesta eum ad te peruenisse victorem GLADIVM persuadent. Vale & hoc encomium virtutibus tuis iamdudum debitum, æqui bonique consule: quod publicaui æternum tibi deuotus

I. CÆC. FREY.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXI. APRILIS. MAGISTRO IOAN. AKAKIA DOCTORE, MEDICO REGIO, MODERATORE

633.

An ὀῤῥῷ οὖρον, οὔρῳ lingua index?

EX alimentis elati illatique cerebro paucissimorum hospiti morborum fumidi vapores, frigore suo & loci in aquam coacti depluunt: & catarrhi cataractarum instar repente pulmonibus illapsi incautos iugulant; aut producunt suspiriosos in anhelante asthmate, orthopnœa, dyspnæa, spiritus; senum scilicet & angusti malum thoracis, mitigandum cùm sudum, cùm otium est à cibo, potu, labore: aut calculos morbi nomine indignos, tussesque omnigenas generant. Nunquam tamen fumi isti capitales, in vrinam degenerant; quæ non tam partis, humoris, coctionisq; excrementum, quàm potulenta materia, in iecore parata, in vasis mista, à renibus allecta, & secreta, in vesicâ depulsa, eiusdem cum sanguinis sero coloris, corporis, conditionis. Tunde venam, ὀῤῥὸν inspice; meie, οὖρον intuere; idem esse ὀῤῥὸν καὶ οὖρον intueberis. ὀῤῥὸς singulis etsi humoribus suus inest, plurimus tamen sanguini, cuius ope, vehiculi instar, corpus vniuersum fouet, alluit, & alit.

OΥ τὸν ὁμόχροον βρώματι καὶ πώμασι nõ tã vrina quàm cruda potio est, cùm vel coquendi occasione præreptá, prorupta ruit mole suâ, vt in bibacissimis κωκκανίζουσι, & potis aquis calcantho medicatis: vel cùm antè mitificationem rapta, vt in diabete inexplebili, insanabili: vel cum effœta coquendi potentia, vt in acutis, in quibus tincturæ expers vrina, delirij, aut hæmorrhagiæ nuncia. Neque vrina ea censenda, quæ τῶν ὑγρῶν σύντηξις quâ partium febrili ardore liquefactarum colorem exhibet colliquamentum: in ea si quid orobeo simile, crassiorive farinæ, iecur aut carnes; si carunculæ, renes; si laminæ furfuraceæ, vesicam; si pingue, adipem; si nigrum, lienem affici constat. At verum propriumque οὖρον ὡς εἴωθεν ἐὸν, ὀῤῥὸς, serum eorum qui in venis sunt hmorum eorumque ideas referens: effluentia enim omnis similis subjectæ substantiæ. Hîc sano hypostasis nulla, nisi in victu erret. Error iste ô quàm sæpe ouromantem decipit incautum!

VT partibus, sic & morbis amuletorum, verborum, characterum vsu non curandis, suæ sunt & diuersæ vrinæ. Efferuescentiæ Ephemeræ sanguinis mittendi nesciæ, vrina sana; Pesti a phlebotomia non alienæ similis cuiuis omnium febrium vrinæ: Synocho ad lipothymiam sanguinis mittendi indigo, rubra: quotidianæ (in quá quis vino interdicat?) tenuis, alba, tandemque turbida: quartanæ salsamentis abigendæ, tenuis aquosa: Hecticæ inter febres maximæ, tenuis, candida, oleosa. Vrinæ soli in acutis febribus audens cur non fidam? Est ne vllum superis in partibus morbi genus, de quo per vrinas aliquid non compareтur præsensionis? Vrina tenuis, cruda est, aut egressuræ obstructa via, quæ si porro crassescat, lethalis: spissa, immatura; si duret, sunt humores, flatus, morbique tenaces. Clara in sanis, sana: in ægris ægra; si deinde turbetur, aut longior morbus, aut propinqua mors est. Perpetuum turbida, mortifera; si post clarescat, vitium deponunt humores: ab atra nihil nisi atrum & funestum: A calore visceris, viridis: rubea salutaris, sed longi morbi; sanguinea in acutis pernitiem & delirium: pallida, frigus prædicit. Hoc vnum heu! vrinæ denegatum, esse ἐλεγχόμενον.

LINGVA loquelæ, confabulationunumque etiam aliis animalium vsitatarum auctor, verborum dædala mater, parens fœcunda, & obstetrix facunda fœtuum mente conceptorum, gustandi sensu, ad esculenta, priore parte, ad potulenta, mediô potens; raram atque laxam substantiam obtinet, tunicâ cinctam prætenui toti ori communem, mediáque lineà diremptã; vnde, vt & reliqua sensuum organa, duplex cum sit, mentiri tamen nescia sanitatem, ægritudinemve prostaseon, humorumque in iis stabulantium diathesin, quibus vt & vaporibus per venas & arterias ceu lana facile perfunditur & concolor redditur. Ob idque vt è vapore humor venarum atque arteriarum, sic ex lingua affectus corporis iudicatur. Tremula, aspera, hiulca, nuncia est non solidæ mentis: Balba, & hæsitans gnomon est bonorum morum: si sit liberæ & absolutæ vocis, in pueris absolutã naturæ perfectionem notat: Sacro autẽ morbo laborantibus, sacrum illud Apollinis, Neptuni, Hecates, peractum docet. Suauerubens, decorem caloris natiui retinet; liuescens eiusdem paupertatem: χλωρὰ, bilis; rubra, sanguinis; nigra atræ bilis; alba, pituitæ tyrannidem ostendit.

CORPORIS licet ingeniique ingens sint indicium vngues; sint lineamenta manuum productiora, & dentes densè stipati, diuturnioris argumentum vitæ: sit sternutamentum sacrum sacri capitis signum; sit cordis motus sua arsi & thesi vitæ appetitusque index & iudex: Ouroscopia tamen antiquior, certior, constantior, ad dignotionem, prænotionem & therapiam vtilior pulsu, ad quemuis corporis animique motum mutabili. Vrinæ colorem, contenta, consistentiam despicere non tantum in hepatis, renum, vesicæ, vasorumque sanguinem continentium, sed etiam in omnibus ventris, thoracis, pulmonum, neruorumque morbis nefas. In quibus enim laudabilis apparet, maximam ῥοπὴν εἰς σωτηρίαν affert, & contra. Ab hac quippe quia sero similis existit, humoribusque serum, ipsisque adeo humoribus cuti subjectis corporis color elucescit, verè elicitur

Ergo ὀῤῥῷ οὖρον, οὔρῳ lingua index.

80

Proponebat Lutetiæ Parisiorum Ianus Cæcilius Frey ex foro Tiberij, Anno XPI. CIↃ IↃC XXII.